



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

§. IV. Fortitudo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

§. IV.

Fortitudo.

Fortitudo dupliciter sumitur. 1. Prout importat quandam animi firmitatem & constantiam ad actiones honestas obeundas, qua ratione est communis conditio cujuslibet virtutis, quia, ut docet Arist. *Virtutis est firmiter & immobiliter agere*: & juxta hanc usurpationem de fortitudine agit S. Gregorius. Alio modo accipitur fortitudo, prout designat firmitatem animi in suscipiendis periculis, laboribusque perferendis, quo modo est specialis virtus, de qua in presenti. Fortitudinem definit Arist. *Mediocratem circa metum & audaciam*: hoc est virtus, quæ in metu & audacia moderandis posita est. Unde intelliges fortitudinem residere in appetitu irascibili, quandoquidem metus & audacia ad istiusmodi appetitum pertinent.

Actus fortitudinis sunt duo, nempe aggredi & sustinere juxta rectam rationem; cum enim fortitudo circa metum & audaciam versetur, timorem reprimat, difficultatem sustinendo, & aggrediendo audaciam moderatur. Nam ut pulchrè Seneca: *Fortitudo non est inconsulta temeritas, nec stultus periculorum amor*; neque etiam fortitudinem æstimare debemus ex viribus corporis, sed ex constantia & firmitate animi, atque ex fine honesto, in quo vera virtus eluceat. Unde Tullius dicit, quod *Fortitudo sit considerata periculorum susceptio, & laborum perpassio*. Ex his duobus actibus præstantior censetur perpassio, quam aggressio, quia magis arduum est timorem reprimere; quod fit sustinendo, quam audaciam refrænare aggrediendo: nam ipsum periculum, quod est objectum audaciæ & timoris, confert aliquid ad reprimendam audaciam, nihil tamen juvat ad cohibendum, imò potius juvat plurimum ad augendum timorem.

Partes fortitudinis integrantes sunt 1. Fiducia seu fidentia, cui affinis est securitas, quæ animus promptus ac paratus redditur ad difficilia, cum opus est, suscipienda aut toleranda: quod si res arduæ non vulgares sint, & actibus non vulgaribus adoriendæ aut perpetiendæ, circa eas occupari dicitur Magnanimitas: quod si homo splendide & amplo quodam animo in magnarum & excel-sarum rerum administratione occupetur, intervenit Magnificencia: si difficultas diutius duret, opus est Constantiâ: Perseverantia verò est stabilis ac perpetua permanens in rebus bene cœptis. Virtus autem, quæ in malis tolerandis animus obfirmatur & sustinetur, dicitur Patientia, cui jungitur Longanimitas, quæ quis res magnas, quæ procul absunt, sperat. S. Thomas censet, fortitudinem magis relucere in periculis repentinis, quam in prævisis, quia in repentinis necesse est, ut habitus fortitudinis sit magis confirmatus, cum nec detur deliberationi locus, nec ad repentina comparare se per tempus liceat.

Fortitudinē opponuntur vitia quadam per excessum, ut temeritas: alia per defectum, ut timor. Sic magnanimitati opponitur superbia, & pusillanimitas. Præsertim verò fortitudini opponitur illa animi impotentia, qua aliqui, vel levi injuria lacessiti, vel alio minori malo fracti, in desperationem adacti, & famam, & vitam, & subinde ipsam salutem æternam in apertum discrimen adducunt.